

fortium virorum ambitiose, neque per lamenta rursus ac
 maerorem muliebriter tulit; et in luctu bellum inter reme-
 2 dia erat. igitur praemissa classe, quae pluribus locis prae-
 data magnum et incertum terrorem faceret, expedito exercitu,
 cui ex Britannis fortissimos et longa pace exploratos addi- 5
 derat, ad montem Graupium pervenit, quem iam hostis
 3 insederat. nam Britanni nihil fracti pugnae prioris eventu
 et ultionem aut servitium expectantes, tandemque docti
 commune periculum concordia propulsandum, legationibus
 4 et foederibus omnium civitatum vires exciverant. iamque 10
 super triginta milia armatorum aspiciebantur, et adhuc
 adfluebat omnis iuventus et quibus cruda ac viridis senec-
 tus, clari bello et sua quisque decora gestantes, cum inter
 pluris duces virtute et genere praestans nomine Calgacus
 apud contractam multitudinem proelium poscentem in hunc 15
 modum locutus fertur:

30 'Quotiens causas belli et necessitatem nostram intueor,
 magnus mihi animus est hodiernum diem consensumque
 vestrum initium libertatis toti Britanniae fore: nam et uni-
 versi coistis et servitutis expertes, et nullae ultra terrae ac ne 20
 mare quidem securum imminente nobis classe Romana.
 2 ita proelium atque arma, quae fortibus honesta, eadem etiam
 3 ignavis tutissima sunt. priores pugnae, quibus adversus
 Romanos varia fortuna certatum est, spem ac subsidium
 in nostris manibus habebant, quia nobilissimi totius Britan- 25
 niae eoque in ipsis penetralibus siti nec ulla servientium
 litora aspicientes, oculos quoque a contactu dominationis
 4 inviolatos habebamus. nos terrarum ac libertatis extremos

